

Angel. Imol. & Moderni in leg. *Stipulatio ista. §. Inter certum. ff. de Verbor. obligat.* Contrarium tamen in hoc tenent Bald. in *dict. leg. Post mortem. Cod. de Fideicommissis. 3. column. n. 10.* Imò, quòd statim possit fieri restitutio, vel distributio per gravatum: Primò, quia si testator cogitasset de voluntate gravati, bene permississet, & diserneret favore animæ suæ: ergo licet non dixerit, pro expressò debet haberi; argumento Glossæ singularis in leg. *Tale pactum. §. final. ff. de Pactis.* Secundò, quia non videtur illud legatum, vel fideicommissum incertum, nec conditionale; cum Deo immortalis videatur relictum, juxta illud, *Quod uni ex minimis fecistis, mihi fecistis.* Tertio, quia licet persona singularis, vel particularis sit incerta, tamen universalis est certa, & necessaria, id est collegium pauperum: argumento textus in *Authentic. Omnes peregrini. Cod. Commun. de successione. & probatur auctoritate Domini dicentis: Pauperes autem semper habebitis vobiscum.* Quarto, quia testator non videtur habuisse affectionem ad certam, vel certas personas particulares, sed magis ad genus personarum, id est ad qualitatem paupertatis, vel pietatis: ergo videtur quòd statim, vel quando velit, gravatus potest eligere, & restituere, non expectata morte, vel tempore: & istam eandem sententiam tenet *ibi Paul. 2. col. Joan. de Imol. in dict. leg. Filius familias. §. Divus Severus. ff. de Legat. 1. final. quest. & certè istam ego tenerem pro vera, & æqua per rationes superiores in iudicando, & consulendo. Ex quo secundo deducitur, quòd si in eo casu, quo hæres est gravatus restituere uni de certis personis, omnes illæ personæ decedant in vita gravati, excepta una, poterit ei statim fieri restitutio: argumento textus in *dict. leg. Post mortem. & quia isto casu cessant prædictæ rationes prohibitive: Et in terminis ita tenet Bald. in dict. leg. Post mortem. 1. column. & 1. oppos.**

8 Modò (his præsuppositis) dico, quòd de jure nostro Regio, attenda prædicta lege fori antiqua, poterat pater, vel mater in vita talem electione, & meliorationem Tertii bonorum facere, & filium quem velit eligere, & nominare; sed per tempus vitæ suæ usque ad mortem poterat ad libitum revocare: & in expressò istam quæstionem ante leg. Tauri movet Doctor Segura in *repetit. leg. Unum ex familia. §. Sed si fundum. 22. column. versic. Quarto modo. ff. de Legat. 2. ubi arguit ad partes, & finaliter concludit eam regulando ad instar donationis in-*

(e) Vide Tell. hic, n. 2. Castell. gloss. 1. col. 3. Matienz. in leg. 1. tit. 6. lib. 5. gloss. n. 2.

ter patrem, & filium. Itaque si talis melioratio fiat filio in potestate, non valet, nec tenet quòd non intervenit traditio; si verò interveniat traditio, similiter non valet statim, sed confirmatur morte: Si verò fiat filio emancipato, vel respectu matris, statim valet, & tenet irrevocabiliter: Et sic in omnibus iudicatur tamquam donatio simplex inter patrem, & filium. Et istam eandem sententiam & conclusionem tenet Ferdinandus de Loazes in *repetition. leg. Filius familias. §. Divi. ff. de Legat. 1. num. 36.* cujus auctoritatem non contemnimus, licet illam repetitionem fecerit in quinto anno studii sui, ut ipse attestatur in *eadem repetition. 2. column.* Et tenendo hanc partem, non obstat textus in *dict. leg. Cum pater. §. A filia.* cum his quæ in ejus confirmationem adduximus: Quia loquuntur quando quis habet jus eligendi in rebus alienis, & insuper habet illud jus coarctatum ad eligendum in articulo mortis; ideò, si ante eligat, talis electio potest revocari, quia non est valida, nec perfecta: Sed in nostro casu, & quæstione pater habet jus eligendi unum ex filiis in propriis bonis suis, nec illud jus eligendi habet à lege coarctatum tempore mortis; unde videbatur quòd in vita poterat eligere, meliorare, & donare, ut dictum est; & quòd talis electio, & melioratio reguletur ad instar alterius cujuslibet donationis. Sed istud dubium voluit tollere nostra lex, & disponere, quòd si non tradatur possessio, possit melioratio revocari; si verò tradatur possessio, non possit amplius revocari, modo fiat à patre, modò à matre, & modò sit in potestate, modò emancipatus: & iste est verus, realis sensus, & intellectus hujus legis.

Ex qua lege sic declarata videtur inferendum notabiliter, quòd hodiè in nostro Regno donatio simplex inter patrem, & filium in potestate valet, & tenet sine traditione, licet possit revocari; sed morte confirmatur: licet hoc casu de jure communi esset omnino nulla, & non confirmaretur: Donatio verò secuta traditione statim valet, & tenet efficaciter, & non requirit confirmari per mortem, licet isto casu de jure communi requirebatur.

9 Item inferitur, quòd donatio simplex inter patrem, & filium emancipatum, vel inter matrem, & filium, non valeat, neque teneat efficaciter, nisi secuta traditione; licet de jure communi statim valeret, & teneret, cum esset impedimentum patriæ potestatis, ut in *juribus supra proximè allegatis. (e)* & hoc videtur aper-

tè probare ista lex 17. juncta leg. 26. *infra eod. m.* ubi habetur, quòd quælibet donatio simpliciter facta inter patrem & filium intelligitur facta pro melioratione Tertii, & censetur filius in ea melioratus: Sed melioratio sine traditione non valet neque tenet efficaciter; cum traditione verò valet & tenet statim, efficaciter, & indistinctè: ergo aperte corrigitur tota materia donationis inter patrem & filium in potestate, vel emancipatum, vel respectu matris. Et in expressò ita tenet Cifuentes in *dict. leg. 26. 2. column. verb. Sed dubitatur. infra eod. & ibi Palacios Rub. & alii Glosatores;* qui similiter tenent, quòd donatio facta filio emancipato, vel facta à matre non valeat efficaciter, sed possit revocari non secuta traditione, cum habeat vim meliorationis. Sed his non obstantibus, ego teneo contrarium, imò quòd donatio simplex facta filio in potestate, vel emancipato, vel facta à matre habeat hodiè eandem vim, naturam, & effectum quoad validitatem ejus, & nihil in ea corrigatur per nostras leges Tauri. Nec obstat prædicta lex 26. *infra eodem*, prout ponderavi: Quia respondeo, quòd tantum vult illa lex, quòd donatio simplex, postquam jam valet, & tenet, & est perfecta, vel confirmata juris solemnitate, & dispositione, computetur in Tertio bonorum, & censeatur filius in ea melioratus; & non teneatur conferre, vel computare in sua Legitima, sed habeat illam præcipuam tanquam si in ea esset melioratus, non tamen voluit lex aliquid mutare, vel disponere circa solemnitatem, vel validitatem donationis; imò remanet in dispositione juris communis. Confirmatur, quia aliàs sequeretur, quòd legatum simpliciter relictum à patre, vel matre in testamento, filio vel filia, secuta traditione, non possit amplius revocari, cum habeat vim meliorationis: Sed istud est falsum, ut *infra ista lege* dico: Ergo, &c. Et ista est vera, realis intelligentia, & declaratio ad istas leges.

infra ista lege dico: Ergo, &c. Et ista est vera, realis intelligentia, & declaratio ad istas leges.

(f) Eandem hanc sententiam tenet Suar. in leg. *Quoniam in prioribus. prope finem, §. Nonò quæritur. num. 5. verb. Præterea in casu. Greg. in leg. 3. titul. 14. part. 5. gloss. verb. No valdra. ad finem. Matienz. in leg. 1. tit. 6. lib. 5. gloss. 4. num. 12. & 22. Velazquez de Avendañ. hic, gloss. 3. per totam. ubi tenet, revocari posse meliorationem Quinti quoad funeris impensas, & alia ad conscientia exonerationem necessaria: Ayora de Partition. 2. part. quest. 14. & 16. Contrariam tamen sententiam tenet Tell. in leg. 22. *infra num. 14. Baeza de Dote, cap. 10. num. 27. & 28. Molin. de Primogen. lib. 1. cap. 12. & iterum lib. 14. num. 24. & Angel. in leg. 1. Gloss. 3. Quorum fundamentis latè respondet & satisfacit Aceved. in dicta leg. 1. numer. 18.**

(g) A quo tempore debeantur fructus meliorationis? vide omnino per Matienzum, per conclusiones, hoc declarantem in leg. *titul. 6. lib. 5. gloss. 3. num. 4.*

Aut. Gomez. ad Leg. Tauri.

Nunc verò circa nostram legem sic declaratam propono aliquas notabiles & necessarias quæstiones. Et primò quæro, si pater vel mater melioravit filium in Tertio & Quinto bonorum, & tradidit possessionem, an possit revocare respectu Quinti? Et breviter teneo quòd sic: quia talis melioratio respicit bona præsentia & futura, ut in leg. 23. *infra eod.* ergò si valet irrevocabiliter, pater vel mater efficeretur intestabilis; cum in effectu esset donatio omnium bonorum præsentium & futurorum: & sic meritò respectu Quinti non valet efficaciter, imò posset per patrem vel matrem revocari, argumento textus cum materia in leg. *Stipulatio hoc modo concepta, ff. de Verbor. obligat. & ideò meritò & cum mysterio nostra lex tantum loquitur in Tertio, & non in Quinto. (f)*

11 Secundò quæro, si pater vel mater melioravit filium in Tertio bonorum, & tradidit possessionem, & postea plura alia bona acquisivit (quo casu talis melioratio extenditur ad ea, ut in leg. 23. *infra eod.*) an sit irrevocabilis etiam respectu eorum, & sic respectu bonorum futurorum postea quæsiturum? Vel an pater & mater possit eam revocare in bonis postea quæsitis, cum non tradiderit possessionem eorum? Et breviter & resolutivè dico & teneo, quòd si melioratio est facta ex causa onerosa matrimonii, quæ non respicit magis una bona quàm alia, non potest revocari; argumento *hujus legis 17. juncta leg. 23. infra, eodem. (g)* Si verò est tradita scriptura meliorationis, similiter non potest revocari respectu aliquorum bonorum.

12 Si verò est tradita possessio simpliciter & genericè, taliter quòd potest extendi ad bona futura; ut si pater vel mater se constituat possidere prædictam meliorationem nomine filii: tunc similiter non potest revocari respectu futurorum; quia cum de natura meliorationis sit quòd extendatur ad bona futura, prædicta clausula constituti virtualiter

habebit eandem naturam, & effectum, (b) ut extendatur ad ea postquam sint acquisita, modò pater vel mater, qui vel quæ melioravit, expressè dixerit quòd constituebat se pro bonis præsentibus, & futuris, modò simpliciter melioravit, & dixit quòd constituebat se nomine filii possidere: quia utroque casu virtus, & effectus clausulæ constituti extenditur ad bona præsentia, & futura sicut ipsa melioratio, & per consequens non potest revocari. (i) Pro qua sententia, & conclusione facit textus, junctâ sententia Jacob. Butr. in leg. fin. Cod. Quæ res pignori obligari possunt. ubi dicit textus, quòd hypotheca, & obligatio bonorum simpliciter facta in aliquo actu, vel contractu, extenditur ad bona futura: & dicit ibi Jacob. Butr. quòd similiter clausula constituti, in eo simpliciter, & genericè posita, extenditur etiam ad bona futura, ut in eis quæraturessio creditori: & illam sententiam, & conclusionem tenent ibi Salic. Joan. de Imol. in leg. stipulatio hoc modo concepta. ff. de Verb. oblig. fin. colum. & ibi Ludovic. Roman. tenent etiam Aretin. Vincent. & Socin. in leg. 3. §. Incertam. ff. de Acquirend. posses. Angel. de Aretin. in §. Actio. Institut. de Actioib. 4. colum. num. 10. Bartol. in consil. 76. Anton. Negus. in tractat. de Pignoribus. 6. fol. 1. colum. Ergo ita dicamus in nostro casu, quòd sicut melioratio ex sui natura extenditur ad bona futura, ita eodem modo clausula constituti in ea posita debet extendi. Secundò facit textus in leg. Quamvis. ff. de Præcario. ubi, si quis constituit se precario possidere ancillam, istud precarium, & possessio extenditur ad partem ex ea nascenturum. Tertio facit textus in leg. penult. ff. Ut legator. nomin. caveat. ubi habetur, quòd si plures sunt hæredes, & unus eorum præstitit cautionem cum fidejussoribus de solvendo legato, & postea aliqui hæredes repudient, vel sine additione moriantur, & accrescant sibi aliæ partes, cautio fidejussora extenditur ad partes quæ postea sibi obvenerunt. Quarto facit textus in leg. 2. ff. Quorum legatorum. ubi dicit, quòd licet hæres non possit agere illo

interdicto Quorum legatorum contra legatarium, nisi satisdederit pro toto legato; tamen si satisdederit pro parte, & postea accrescat ei alia pars, potest hæres uti illo interdicto, quia illa prima satisfactio extenditur ad alias partes postea obvenientes. Quintò facit textus in leg. Damni infecti stipulatio. la. 1. §. Si autem res. ff. de Damn. infecti. ubi habetur, quòd cautio damni infecti præstita pro damno domus quæ tunc erat vacua, extenditur ad omnes res postea ibi inclusas. Sextò facit textus in leg. Luctus. ff. Qui potiores in pign. hab. ubi dicitur, quòd si contraxit cum debitore sub hypotheca, & postea secundus etiam cum hypotheca; primus præfertur etiam in usuris, fructibus, & accessoriis obvenientibus post secundam hypothecam. Septimò confirmatur viva, & subtili ratione, quia validitas, & effectus constituti dependet ab ipso actu, vel contractu super quo interponitur, & regulatur ab eo: ita probat textus in leg. final. de Constitut. pecun. textus in leg. Si quis ante. ff. de Acquir. posses. textus in leg. 4. §. penult. ff. de Pecul. textus in leg. Si ut certo. §. Usque adeo. ff. Commodati. textus in leg. Sed adest. §. Si quis mulierem vehendam. ff. Locati. Octavò facit textus in leg. 4. ff. de Jure dotium. ubi incrementum dotis habet eandem naturam, & qualitatem quòd ipsa dos principalis. Nonò facit textus in leg. Si convenerit. la. 2. §. 1. ff. de Pignor. action. ubi, si proprietas hypothecatur, usufructus postea superveniens cadit etiam sub hypotheca. Decimò & finaliter facit textus in leg. Id quod. ff. de Peric. & commod. rei vend. ubi in venditione alicujus rei includitur etiam incrementum, quòd ei postea accedit.

13 Si verò est tradita possessio meliorationis expressè limitata in bonis præsentibus; quia pater melioravit filium in Tertio bonorum, & verè vel fide tradidit sibi possessionem illius Tertii tantum in bonis præsentibus, quia per actum verum misit in possessionem cujuslibet rei pro tertia parte, vel per actum fictum transtulit possessionem, constituendo se possidere bona præsentia pro tertia parte vel quo

(h) Donatio enim revocari non potest etiamsi per actum fictum fiat traditio, ut probat Cifuentes hic, num. 2. in fin. Palacios Rub. num. 5. Castell. verb. La possession. Gom. Arias in verb. Salvo. num. 14. & 15. Tell. num. 17.

(i) Ut docet Gregor. in leg. 5. gloss. magn. ad med. titul. 13. part. 5. & in leg. 9. glossa etiam magna, titul. 30. part. 3. Tiraquel. plures etiam referens more suo in libr. de Constitut. 1. part. ampliati. 32. num. 1. Matienz. plures etiam referens, in leg. 2. titul. 9. lib. 5. glossa 3. num. 19. & per consequens non potest revocari nec in bonis postea quæsitis: Quod & docuit Matienz. in leg. 1. titul. 6. libr. 5. Recopilat. glossa 4. num. 11. quicquid Tell. hic eum. 21. dicat.

libet alio modo; & postea acquisivit alia plura bona, in quibus etiam censetur filius melioratus: certè hoc casu est fortius & magis dubium, an saltem respectu futurorum possit fieri revocatio? quia in eis non est tradita possessio, cum fuerit expressa & limitata tantum in bonis præsentibus. Sed adhuc in isto casu teneo, quòd nullo modo possit revocari: quia ex eo quòd melioratio est perfecta & irrevocabilis respectu præsentium, est etiam irrevocabilis respectu futurorum; cum extendatur ad illa cum sua natura & qualitate, per jura & fundamenta supra allegata. Et hoc teneo pro firma veritate, & reputo novum & subtile. (k)

14 Tertio quæro, si pater vel mater melioravit filium in Tertio bonorum, & assignavit illud in aliqua re certa, prout facere potest, ut in leg. 19. infra eod. & talis res assignata non æquivalet Tertio, sed sit vilioris valoris & æstimationis; an illud quòd deficit pro complemento Tertii debeat solvi, & suppleri ex aliis bonis? Et insuper, an illa melioratio possit revocari respectu illius partis, valoris, & æstimationis, quæ deficit pro complemento Tertii; cum respectu ejus non sit tradita possessio? Et certè quoad primum videtur dicendum, quòd debeat suppleri: Primò, quia assignatio rei pro solutione alicujus legati, fideicommissi, vel donationis, non minuit, nec auget, nec alterat virtutem ejus: textus est notabilis in leg. Quidam testamento, ff. de legat. 1. & ibi Bartol. & communiter Doctores; textus in leg. Paula Callinico, §. final. ff. de legat. 3. textus in leg. Lucius, in fin. ff. de Aliment. & cibari. legat. textus in leg. Si sic, §. 1. ff. de legat. 1. textus in leg. 1. §. final. ff. de Dote prælegat. textus in capit. Per tuas, de Donation. & in expresso ita tenet hic Cifuentes, & alii Glossatores. Sed his non obstantibus, ego teneo contrarium; imò, quòd prædicta melioratio Tertii non debeat suppleri ex aliis bonis, sed filius debeat esse contentus prædicta re sibi assignata: Quia prædicta jura & eorum conclusio procedunt quando post dispositionem perfectam, & consummatam res esset assignata solutioni, & sic executioni actus: secus verò si assignetur substantiæ ipsius dispositionis, ut in nostro casu & quæstione; quia tunc non debet fieri suppletio & solutio ex aliis bonis: textus est singularis & subtilis in leg. Si quis servum, §. Si quis ita legaverit, ff. de legat. 2. & ibi communis opinio: textus in leg. Si servus legatus, §. Qui

quinque, ff. de legat. 1. textus in leg. Cum certus numerus, ff. de Tritico, vino, & oleo legat. textus in leg. Lucius Titius, §. Civibus, ff. de legat. 2. & tenet & declarat Bart. in leg. Inter stipulantem, §. Sacram. ff. de Verbor. obligat. 3. colum. & ibi Modern. Petrus, Cyn. & Antiqui in leg. Si quis argentum, Codic. de Donat. Sed in nostro casu, attenta dispositione & mente hujus legis, & legis 10. infra, eod. & similibus, quæ permittunt patrem vel matrem assignare meliorationem Tertii in aliqua re, vel rebus certis, talis assignatio fit substantiæ dispositionis, & per consequens non debet suppleri ex aliis bonis.

Ex quo sequitur & infertur, quòd si talis res assignata pereat casu fortuito, non debet suppleri melioratio ex aliis bonis. Item etiam infero, quòd si res assignata pro melioratione Tertii æquivalet plus quam Tertium, & sit longè majoris valoris quam Tertium, non debet filius melioratus habere totam rem pro melioratione Tertii, & Quinti: quia mens & voluntas patris vel matris non fuit in plus quam Tertio meliorare, & actus gerentium non operantur ultra eorum intentionem; & limitata causa limitatum parit effectum, ut in leg. Non omnis, ff. Si certum petatur, textus in leg. Cancellaverat, ff. de His quæ in testamento delent. textus in leg. Age cum Geminiano, Cod. de Transactionib. cum similibus. Item etiam infero, quòd si isto casu pater vel mater postea plura bona acquirant, & Tertium esset majoris valoris; habebit illud filius in re assignata, si sit tanti valoris & pretii quam Tertium.

Quoad secundum, an prædicta melioratio possit revocari respectu valoris & pretii, quòd deficit pro complemento meliorationis? Non est aliquid dubium; cum diximus, quòd non debetur, nec venit supplendum, sed filius debet esse contentus illa re assignata, & sic non requiritur revocatio. Posset tamen iste casus verificari, quando pater vel mater, qui fecit meliorationem, & assignavit eam in aliqua re certa, dixit quòd debeat suppleri ex aliis bonis: quia tunc videtur quòd respectu illius pretii & valoris supplendi possit revocari, cum non sit tradita possessio. Sed teneo contrarium, imò quòd non possit revocari: quia ex eo quòd melioratio fuit facta & assignata in aliqua re, & fuit tradita possessio ejus, efficitur tota melioratio irrevocabilis, & virtus & effectus possessionis traditæ in illa re assignata extenditur

(k) Hanc sententiam improbat Tellus hic; sed eam eleganter defendit Molina de Hispan. Præmogeniis, 2. part. lib. 4. cap. 2. num. 21. Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.

ad totam meliorationem Tertii, ut sit irrevocabilis, per supra dicta.

15 Quarto quæro, an requiratur quod possessio meliorationis tradatur per actum verum, ad hoc ut efficiatur irrevocabilis? an verò sufficiat quod tradatur per actum fictum, ut per clausulam constituti, vel per visum & aspectum oculorum, vel per traditionem clavium, vel per retentionem ususfructus, vel per quemlibet actum fictum de his, per quos potest transferri possessio, ut in leg. Quod meo, ff. de Acquirend. possession. & in leg. 1. §. Si juserim. eodem titul. & in leg. Clavibus, ff. de Contrahend. emptio. & in leg. Quisquis, Codic. de Donation. cum similib. de quibus, & de eorum effectu & natura magistraliter dixi in materia possessionis. Et breviter & resolutivè videtur quod non sufficiat tradere possessionem per actum fictum: Primò: quia ista lex nostra Tauri loquitur per verbum traditionis facti, quod denotat veram & realem traditionem per actum verum; in quantum dicit: *Oviere entregado la posesion de la cosa, ó cosas en el dicho Tercio contenidas*, & sic videtur quod non sufficiat actus fictus. Secundò, quia ex inutili & invalido contractu, ut ex donatione inter maritum, & uxorem, vel ex donatione inter patrem & filium, vel ex venditione & alienatione rei prohibita alienari, vel ex contractu simulato, vel ex similibus contractibus non potest per actum fictum transferri possessio: ita expressè probat textus in leg. 1. §. Si vir uxori, ff. de Acquirend. possess. ubi dicitur, quod factum & actus verus traditionis non potest jure civili infirmari, & ideo per eum transit possessio: Ergo actus fictus traditionis, qui consistit tantum in jure, bene potest annullari & improbari ab ipso jure civili, sicut annullatur, & improbat ipsemet contractus: & in terminis ita tenet ibi Paul. de Castro, 1. column. in fin. numer. 5. dicens ita fuisse determinatum in publica dispositione per Argentinum filium Reyne. de For. & ibi etiam tenet Aret. 2. column. Alex. 3. column. numer. 8. Jan. nimis commendando, 3. column. 3. notab. Vincent. 8. column. Bald. in leg. Ex testamento, Codic. de Fideicom. in fin. idem Bald. in cap. 2. 2. column. propè finem, de Feudo dato invicem legis commiss. Tertio, quia licet in acquirenda possessione per actum verum non requiratur titulus vel causa; tamen in acquirenda possessione per actum fictum bene requiritur: ita probat textus in leg. Quod meo, juncta glossa 1. ff. de Acquirend. possession. & ibi tenet Bart. Paul. & communiter Doctores. Ergo cum in nostro casu, & quæstione contractus vel titulus sit nullus, sequitur quod non potest

transferri possessio per actum fictum. Quarto, quia quando contractus vel titulus est immediata causa possessionis, si non tenet, nec valet contractus, non transit possessio: ita probat textus in leg. Si aliquam rem, ff. de Acquirend. possession. textus in leg. Si quis ante, in fin. eodem titul. per quæ jura ita tenet Bald. in leg. Non dubium, Codic. de Legibus, 8. column. numer. 18. & ibi Jason. penultima columna. Quintò, quia quando actus vel contractus principalis non valet, similiter non valet confessio, vel alia quælibet clausula posita super eodem: textus est singularis in leg. final. ff. de Constit. pecun. quem ibi ad hoc notant & commendat Paul. & alii Doctores, & ad hoc reputat singularem Bald. in leg. Si absentis, final. column. in med. Codic. Si cert. petat. illum etiam reputat singularem Jas. in leg. Certi conditio, §. Si nummos, ff. Si cert. petat. 7. column. numer. 34. idem Jas. in leg. Si ita stipulatus, §. Chrysogonus, 17. column. numer. 55. ff. de Verbor. obligation. Idem Jas. in leg. 1. §. Si vir uxori, ff. de Acquirend. possession. 4. column. numer. 16. Idem Jas. in leg. Non dubium, Cod. de Legib. penultim. column. Idem Jas. in leg. Ex testamento, Cod. de Fideicom. tenet etiam Glossa ordinaria, licet non alleget illum textum, in leg. Si Patronus, §. Patronum, in verb. Fabiana, ff. Si quid in fraud. patron. quam ad hoc notat & commendat Bald. in leg. 1. Cod. de Inofficios. donat. 3. column. in fin. Idem Bald. in leg. Imperator. la 1. ff. de Statu homin. Angel. de Aretin. in §. Fuerat, Instit. de Actio. 11. column. numer. 16. & ibi Jason. 15. column. numer. 76. Ergò cum donatio vel melioratio inter patrem & filium sit nulla, sequitur quod actus fictus, & clausula in eo posita erit nullius momenti; & per consequens nulla poterit transferri possessio. Sextò & finaliter facit, quia incertitudo vitiat acquisitionem possessionis: textus est in leg. 3. §. Incertam, ff. de Acquirend. possess. cujus verba sunt: *Incertam partem rei nemo potest possidere: veluti si hac mente sis, ut quicquid Titius possidet, tu quoque velis possidere*, & ibi Glos. ordinar. Bart. & communiter DD. Sed in nostro casu & quæstione, quando melioratio Tertii non assignatur in aliqua re, vel rebus certis, sed universaliter & genericè pater vel mater vellet transferre possessionem per clausulam constituti, est omnimoda incertitudo; quia filius melioratus nesciret, nec posset cognoscere quid & quantum possideat, & esset incertus suæ possessionis: Ergo videtur quod nulla potest transferri possessio.

16 Sed his non obstantibus, in hoc subtili & notabili articulo ego teneo contrarium; imò quod per clausulam constituti, vel quemlibet alium

alium actum fictum possit pater vel mater transferre possessionem meliorationis, ut amplius non possit revocare. Primò, quia ita vera & juridica possessio causatur ex actu ficto, sicut ex vero: textus est in leg. 1. §. Si juserim. ff. de Acquirend. possess. textus expressus & melior de jure in leg. Quod meo. §. Si venditorem. versicul. Aut si vicinum. eod. titul. cujus verba sunt: *Aut si vicinum mihi fundum in reo venditor ex mea turre demonstrat, vacuamque possessionem se tradere dicat: non minus possidere capi, quam si pedes finibus intulisset*. Sed nostra lex Tauri ad confirmationem meliorationis requirit translationem possessionis: ergo nihil refert ex quo actu transferatur & acquiratur. Secundo probatur expressè per nostram legem Tauri, in quantum dicit, quod per traditionem scripturæ vel instrumenti confirmatur talis melioratio, & efficitur irrevocabilis: ergo idem erit ex quolibet alio actu ficto, cum non sit major ratio in uno quam in alio. Nec obstat si replices, quod lex tantum expressit illum casum: ergo alios videtur excludere; cum casus exceptus firmet regulam in contrarium, ut in juribus vulgaribus. Quia respondeo, quod nostra lex cum mysterio, & necessitate expressit tantum istum casum scripturæ: quia de jure communi requirebatur traditio scripturæ, & instrumenti antiqui, in quo continebantur jus & titulus ex quo illa res pertinebat tradenti, ut in leg. 1. Cod. de Donation. & ibi communiter DD. Sed hodiè per nostram legem sufficit quod fiat traditio scripturæ novæ ipsius tituli & meliorationis, quæ nunc fit: (1) & iste est verus & realis intellectus nostræ legis. Et idem est hodiè in nostro Regno, quolibet alio contractu & titulo inter partes celebrato: ita disponit lex 8. titul. 30. part. 3. de quo articulo dixi notabiliter in materia Possessionum, articulo de Translatione possessionis per traditionem scriptur. ubi omnino vide. Et istam principalem sententiam & conclusionem tenent in præsentem Cifuentes, Palac. Rub. & alii Glosatores.

Nec obstant fundamenta contraria superius adducta. Et primò non obstat, quod ista lex loquitur per verbum traditionis facti: Quia per hoc non inducit necessitatem, nec negat posse tradi possessionem meliorationis per alium actum fictum; imò etiam loquendo in actibus fictis leges loquuntur per verbum tradi-

tionis facti, ut in leg. 1. §. Si juserim. ff. de Acquirend. possession. & in leg. 1. Cod. de Donation & in leg. Clavibus. ff. de Contrah. empt. cum similib. Secundò non obstat secundum fundamentum cum tribus sequentibus in quo dicebamus, quod ex inutili & invalido contractu non potest transferri possessio per actum fictum: Quia licet illa opinio fulciatur pluribus autoritatibus & rationibus; tamen contrariam sententiam & conclusionem tenet Glossa singularis & ordinaria in l. 2. in Gloss. final. in fin. Cod. de Dote caut. non num. quam ibi notat, & reputat mirabilem Bart. & tenet & sequitur ibi Cyn. Faber, Bald. Angel. Salyc. & commun. DD. idem Bart. Bald. & commun. DD. in leg. Papi-nianus. ff. de Donat. inter vir & uxor. Vel aliter secundò dico & respondeo, quod si actus vel contractus est omnino nullus sine aliqua spe convalescentiæ; tunc ex actu vel contractu nullo non transeat possessio per actum fictum: si verò actus vel contractus est nullus, sed tamen habet aliquam spem convalescentiæ, ut donatio inter virum & uxorem, vel inter patrem & filium, ut in nostro casu; tunc per actum fictum bene transfertur possessio, & operatur eisdem effectus quos vera: Et ita concordantur prædictæ opiniones; & istam sententiam & concordiam tenet Socin. in dict. §. Si vir uxori. 3. column. & D. Palac. Rubeus in sua repetition. fol. 56. & ego dixi latius & notabiliter in materia Possessionum. in quæstione & articulo principali, an & quando in quærenda possessione requiratur causa? Ergo cum in nostro casu talis melioratio inter patrem & filium de præsentem non valeat efficaciter, sed morte confirmetur, ut in nostra lege; sequitur quod potest in ea transferri possessio per actum fictum.

17 Sextò & finaliter non obstat sexta & finalis difficultas, in qua dicebam, quod incertitudo vitiat acquisitionem possessionis. Quia notabiliter & subtiliter respondeo sequentibus modis: Primò, quod incertitudo vitiat acquisitionem, quando est omnimoda incertitudo, scilicet loci, & quoræ: secus verò quando est certitudo respectu quoræ; quia licet sit incertitudo loci, non vitiat: ita probat textus in leg. Locus. vers. 1. ff. de Acquirend. poss. & ibi communis opinio; per quem idem etiam tenet communis opinio in leg. 3. §. Incertam. eod. tit. Sed in nostro casu, & quæstione est certitudo respectu quoræ, quia fuit facta melior-

(1) Idem tenet Castell. hic, verbo La scriptura. Palacios Rub. num. 25. Gomez Arias in l. 15. supra num. 20. Gregor. Lopez in leg. 8. titul. 13. partit. 3. glossa ultim. & Matienz. in leg. 1. titul. 6. lib. 5. Recopilat. glossa 6. num. 3.

Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.